







John Carter Brown
Library
Brown University

10/10
2/10







DISSERTATIO
MEDICO-CHIRURGICA
DE ANTHRACE,

QUAM, Deo duce & auspice Dei-parâ, in
augustissimo & celeberrimo Ludoviceo
Medico Monspeliensi, tueri conabitur

AUCTOR

PETRUS CHATARD, ex urbe Cap-Français,
in Insulâ St. Domingue apud Americanos,
in almâ Academiâ Tolosanâ Artium Libe-
ralium Magister, & à Biennio Medicinæ
Studiosus.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.



MONSPELII,

Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis Medicinæ
Typographum unicum.

— M. DCC. LXXXVII. —



P A T R I S U O ,

M A T R I S U Æ

S I C U T E T C O N S O B R I N Æ D I L E C T I S S I M Æ ;

G E N T I L D E V A L L E T T E ,

*H A S S t u d i i s u i i n A r t e M e d i c a p r i m i t i a s , i n
æ t e r n u m a m o r i s & g r a t i t u d i n i s s i g n u m ,*

D i c a t & V o v e t ,

F i l i u s o b s e q u e n t i s s i m u s & p r o p i n q u u s
s t u d i o s i s s i m u s ,

P E T R U S C H A T A R D ,

RPJCE



DISSERTATIO
MEDICO - CHIRURGICA,
DE ANTHRACE.

MORBUS, de quo hîc agere mihi animus est, varia fortitur nomina apud varios Auctores. Græcis dicitur *anthrax*, Latinis *carbo* & *carbunculus*, ab *Avicennâ* *pruna* & *ignis persicus*, ab historico *Mezerai* *ignis sacer*, *ignis St. Antonii*, *morbis ardentium*, &c.

Maximè autem erraret, qui tot morbos, tot capitibus descriptos fuisse putaret; nam hæ omnes diversæ denominationes habendæ sunt tanquam voces, & eundem designant morbum. Si attendamus equidem, ad causas, ad effectus, ad symptomata sicut & ad medicamina his morbis peculiariora & ab illis diversis Auctoribus assignata, præscripta, certò liquebit eadem esse apud omnes, & consequenter eundem morbum sub variis nominibus descriptum fuisse. Quòd si

verò quibusdam assertio nostra firmissimis argumentis, non satis comprobata videretur, consulatur illustr. *Sauvagesii*, Nosol., in quâ videre est quòd idem censeat peritissimus Auctor. Porro quo nomine propriè designandus sit morbus? Respondebimus cum *Sauvagesio* anteponendam esse vocem, *anthrax*; etenim verbum *carbo*, ligno combusto, & *carbunculus* lapidi pretioso designando inservientia, pejora videntur nomina quàm *anthrax*. His prælibatis: quid intelligendum est sub *anthracis* nomine?

Definitio & signa Anthracis.

ANTHRAX est tumor inflammatorius valdè durus, in mucronem elevatus, tensione, dolore acutissimo nec-non urente calore stipatus: haberi potest tanquàm eruptio gangrænodea suâ indole peculiari donata, cujus humor acris & causticus veram inflammationem escharoticam efficit. Apparent in medio tumoris una vel plures pustulæ ex quibus brevî fit eschara seu crusta nigra, mollis & fetida. Circumdatur anthrax circulo inflammato coloris rubro-brunei, lividi aut nigrescentis. Rubor dolor & tensio inflammatoria ad partes vicinas sæpissimè extenduntur. Erumpit etiam aliquandò sine tumore inflammatorio saltem sensibili, nec-non sine pustulâ; sed tantùm sub cute distinguitur globosum corpus tumidum, vix dolens, cujus apicem tegit macula livescens, cuticulæ non adhærens, quâ resectâ, interiùs macula nigricans, sensûs expers, sphacelosa reperitur. Anthrax ille collum & fauces vel oris & maxillæ

viciniam præcipuè obsidet. Tunc temporis æger languet, somnolentus est, pulsum habet exilem & intermittentem, adest facies pallida, frigor extremorum, cardialgia, virium subitanea prostratio, quæ omnia symptomata ægri mortem, intra paucas horas aut diem, prædicant. Adest etiam interdum febricula, & exulceratur anthrax cum tumore phlegmonodeo inæquali circa pustulam nigram, atro-rubro, labiis inversis, fungoso vel excrecente, sicco, minimè purulento, cancri exulcerati instar horrendo; sese in viciniam diffundit, & partem faciei, ut palpebram occupat. Sic per plures dies perseverat. Nonnunquam adhuc, licet maximè metuendus, apparet anthrax sine febre, testante *Plinio*, cujus opinioni favere videtur *Celsus*. Verba quoque facit illustriss. *Lieutaud* de quâdam anthracis specie Provinciis meridionalibus familiari & præcipuè tractui Romano, quæque idèò fortassè vocatur (*charbon provençal*). Erumpit vulgò ut præcedens, quin adsit febris; sed non æquè timendus est, licet aliquandò sit periculosissimus & perniciosissimus, ut monet Auctor.

Signis jam memoratis & præsentiam anthracis indicantibus, hæc addenda sunt, 1^o. signum anthracis proprium, est, pus non emittere, sed gangrænâ vitari; nec intervenit suppuratio, nisi prius ceciderit eschara, cui tunc plus minùsve profundum succedit ulcus; 2^o. excitatur pruritus maximus in medio tumoris circulo rubro & inflammato circumdati; adeò vehemens est, ut æger nequeat continere se, ne scalpat & fricet: quam partem prurientem dum scalpit æger, oboritur pustula, vel vesiculæ aliquandò plures,

exiles, veluti milii semina, quæ si disruptæ fuerint, apparet statim subtus crusta adusta, valdè similis igne ambustis; 3°. crustæ color est ut-plurimum cinericius, aliquandò niger, sæpè lividus, nonnunquàm plumbeus; 4°. cutis anthracis inflammati non separari potest, neque hùc & illuc diducitur, sed inferiori carni quasi affixa est; 5°. adest ut-plurimum febris ardens; 6°. vomitus non rarò sed præcipuè nauseas quasi continuas experitur æger; 7°. occurrunt aliquandò tremor ac palpitatio cordis; 8°. demùm, superveniunt delirium & convulsiones quæ cum nauseis & tremore cordis malignitatem anthracis & mortem proximam indicant.

Sequitur ex jam dictis, quòd duplex distingui possit anthracis species, *malignus* scilicet seu *pestilens* qui ferè semper lethalis est, vel membrum corrumpit; & *simplex* vocatus etiam *benignus*, cujus non æquè difficilis est curatio.

Distinguitur anthrax simplex, à maligno, juxtà D. de *Sauvages*, in eo quòd simplex pandemius non sit, sed sporadicus, extùs promineat cum pulsu febrili & levibus symptomatibus. Juxtà *Galenum*, alia sunt signa ut videre est ex ipsissimis ejus verbis in notâ relatis (1). Præterea

(1) « Quandò influens sanguis admodùm calidus fuerit, crassus in » quamcumque partem confestim fluxerit, illam adurit, ulcusque crustam » habens efficit. Quidquid autem circumstat in ferventem inflammationem » attollit, & validè dolentem. Vocatur autem ille affectus *anthrax*. Quòd » si influens sanguis niger sit, crassus, feculentus, ac fervidus qualis » est prior, admixtamque quamdam saniem habeat tenuem, pustulas

admittendi sunt anthraces epidemici, quorum alii sunt contagiosi, quales in variis pestibus observati fuerunt; alii non contagiosi, quos inter simplices. Distinguendi adhuc sunt anthraces, in eos qui cum pustulis oriuntur, & in illos qui sine pustulis erumpunt. Inter primos sæpissimè reperiuntur simplices & minùs maligni, inter secundos autem nonnunquàm annumerantur pestilentes & illi qui pravæ sunt indolis.

De causâ Anthracis.

CAUSA anthracem procreans non semper cognoscitur; imò, ut plurimum ignoratur. Quidquid autem certiùs de illà dici potest, ni fallor, ad hoc reducitur, quòd scilicet materies hunc morbum produciens, aliquam analogiam habeat cum materie pestem & morbos malignos producente. Etenim primùm, sæpissimè pestem concomitantur anthraces, erumpuntque nonnunquàm in morbis malignis maculæ nigræ, lividæ, gangrænosæ, maximè lethales & ab anthracibus non multùm discrepantes (1); aliundè plura alia

» in superficie cutis excitat, similes his quæ ab igne fiunt: quibus ruptis,
 » sub ipsis crustosum ulcus invenitur. Est autem hic affectus etiam
 » *anthrax.* » *Galen.*

Prior species maximè convenire videtur anthracibus malignis, & posterior, mitioris indolis malum designans, anthracibus benignis.

(1) « Je ne fais si l'on ne pourrait pas rapporter à la maladie dont
 » nous parlons, ces exanthèmes gangréneux qui paraissent quelquefois,
 » tant dans la petite vérole que dans les fièvres malignes. » *Lieutaud,*
précis de Med. prat., tom. 2.

symptomata communia habent illi morbi ; ut vertigines , lassitudines spontaneas , lipothimias , nauseas , vomitum , præcordiorum ardorem , somnum laboriosum , delirium , convulsiones , pulsum modò naturalem , sæpè debilem & languentem , modò vehementem , demùm irregularem , inæqualem & intermittentem , &c. Ergò non omninò rejicienda videtur comparatio.

Causæ cognitæ non multùm etiam inter se differunt : nam oritur anthrax , sicut pestis & febris maligna , ex sanguine fervente , crasso , putrescente , & in atræ-bilis naturam degenerante , aut atram-bilem cum malignitate conjunctam habente. Sobolescit adhuc ex intemperantiâ in victu , nimirum ex usu piscium & carniū putrefactarum , nec-non ex alimentis insuetis quæ concoquere non valent succi gastrici ; natales suos debet aliquandò aëri corrupto , qualis videtur aër Carcerum , Nosocomiorum , aliorumve locorum in quibus stagnant aquæ & putrescunt plantæ injectaque cadavera ; undè frequentior est anthrax æstâte , quàm aliis temporibus ; quod quidem non mirum , si attendatur quòd tunc aër calidissimus & miasmatibus ut-plurimum inquinatus , humores adurere , corrumpere & depravare potest , adustoque sanguini materiam anthraces foventem præbere. Accidit etiam anthrax , juxtà *D. de Sauvages* , potissimum pauperibus fordidis , qui carnes animalium , ut vervecum , anthrace defunctorum (1) , edunt ; aut qui

(1) « Viget adhuc circà Perpinianum opinio ex perdicibus primitus in » pecora propagari virus carbunculosum , & quotquot verveces biberint eorum

eorum lanas tractant , adipem fundunt ad candelas parandas ; hinc laniones , coriarii , candelarum opifices huic morbo sæpiùs sunt obnoxii.

Utrum generetur anthrax per congestionem , aut defluxu facto ? Nostro saltem iudicio , dubitare licet. Attamen lubentiùs crederemus , quodd erumpat defluxu facto , propter sævitiem symptomatum , mali progressus & periculum. Verùm fieri adhuc potest ut tumor paulatim in corpore generetur , & pravam naturam lapsu temporis induens , subito ab interioribus ad exteriora & à membris nobilioribus ad ignobilia propellatur à naturà , ubi supremum gradum pravitatis & malignitatis adeptus est. Sed de hoc merè conjecturali nullam certitudinem nos habere libenter confitebimur.

De præfagiis Anthracis.

Quò nigrior est anthrax , eò pejor ; huic proximè succedit lividus & flavescens ; minùs maligni & formidandi sunt , qui rubicundi & valdè inflammati ; nam tunc magis ex naturà furunculi participant & ad suppurationem faciliùs tendunt laudabilem. Minùs perniciosi sunt , qui

» in rupium foveolis aquam priùs à perdicibus degustatam , tot anthrace
 » deinceps affici ; experimenta à Doctore *Campagne* , Med. Monsp. in
 » vico dicto *Sigean* instituta , & Soc. Reg. Scienc. relata , hanc opinionem
 » paradoxam , confirmare videntur , ratio verò nulla suppetit. » *Sauvag.*
Nesol. , tom. 1.

parvi, quàm qui magni & ex parvâ pustulâ subitò ingentem magnitudinem acquirunt. . . . Sicut & illi qui solitarii, quàm qui alios anthraces conjunctos habent; nam in secundo casu major videtur virus malignitas & timendum est ne eludat vires naturæ & medicamentorum: exitiosi valdè sunt illi, qui, ubi erupuerunt, mox delitescunt, quin remittatur febris vel sublevetur æger; quia tunc sæpissimè partes internas & nobiliores occupant: idem metuendum est de anthracibus in emunctoriis apparentibus, ut sub axillis, vel post aures, vel inguinibus; anthraces qui viscera obsident, brevî lethifera pariunt symptomata; qui partes musculosas; ut femur & brachium, occupant, non reformidandi sunt, juxtà *Avicennam*, etiamsi certam sint adepti vehementiam, & quamdam malignitatem habeant conjunctam; nam illæ partes omnem virus actionem pati possunt; prætereà facilè exuri, amputari & hujusmodi alia perferre queunt: qui autem partes nervosas obsident, vel lethales sunt, vel partis motui aut exercendæ functioni obstant; namque ex corruptione nervi, vel ligamenti alicujus, necessariò articuli motus remanebit impeditus; idem dicendum est de illis qui partem aliquam nobilem, vel aliquod organum, putà aurem, vel oculum occupant: rarissimè enim accidit, ut non destruaturs visio vel auditus, moriatur-ve æger, si in superciliis, vel partibus aliis adhærentibus, oriatur anthrax. Maximè timenda est suffocatio, juxtà *Celsum*, si circà stomachum fauces-ve incidit anthrax. Afferente *Avicennâ*, anthraces qui in principio sunt coloris rubri, quique deindè colorem subluteum, vel citrinum contrahunt,

faustam præbent prognosim, contrà autem si in principio sint nigri, vel lividi, & subindè nigredo, vel livor augeatur, mortem prænuntiant, vel saltem partis illius corruptionem. Sudor mitis & permanens, nec-non nausæarum anxietatumque cessatio, quæ proportionè nascitur & elevatur anthrax, bonum signum offerunt: qui enim totus deponi nequit in anthracè morbificus humor, partim sudorum viâ foras è corpore eliminatur. Evacuatiōni igitur hujus humoris adversantur ea omnia quæ spasmum cutis excitant, fovēt, sicque sudoris effluxum impediunt: hinc nimius liquidorum motus anthracum maturationi obest. Minus est periculum ab anthracibus febribus malignis supervenientibus, quàm ab illis, qui hujusmodi febres præcedunt. Qui apparent jam fractis vel multum imminutis ægri viribus, funesti reputandi sunt. Tandem evanescunt anthraces aliquandò, dum superveniunt sudores copiosissimi virium prostratione stipati. Quidquid tamen ex his omnibus sit, hîc generatim asserere nobis liceat, quòd sit pertimescendus omnis anthrax, vel etiam benignissimus.

De curâ Anthracis.

DISCRIMEN aliquod ponendum reputo, in curando anthrace maligno & in curando benigno. Cura prioris difficillimè obtinetur: quænam autem imperanda sit diætâ, difficulter deduci potest; hæc petenda tantum ex temperamento ægroti, sævitie morbi, intensitate symptomatum. Promovenda est diaphoresis, quam optimam reputamus in

eliminandâ materie anthraces fovente. Necessitate urgente, emeticis & catharticis debitè evâcuandæ sunt primæ viæ. Diverfus tandem esse debet remediorum internorum usus, prout variûm est morbi cui supervenit anthrax genium. Sic feбри malignæ aut pesti si superveniat anthrax, tunc temporis ad medicamina illis morbis appropriata recurrendum est. Verûm ante omnia prohibentur à *Celso* cibus & vinum, aquam tantûm liberaliter epotandam præscribit.

Quod ad tumoris curam attinet, nihil satius est juxtâ eundem *Celsum*, quàm hunc protinûs adurere. "Neque id „ grave est, inquit, nam non sentit, quoniam illa caro „ mortua est. Finisque adurendi est, dùm ex omni parte „ sensus doloris est. Tùm deindè vulnus sicut cætera adusta „ curandum est. „ Tanquam remedia specifica habet illa *Celsus*, quæ protinûs corruptam partem à vivâ resolvunt, ac in eis totam reponit spem. Sic, *Celsi* opinioni assentiens, accelerandam duco carniûm mortuarum à vivis separationem: huic fini conducunt suppurativa, caustica, ferrum candens. Suppurativa sint de genere emollientium, qualia cataplasmata è plantis & farinis relaxantibus, unguentum matris, emplastrum mucilaginum, &c. Maximo dein cum successu adhibentur cataplasmata maturantia, quibus addi possunt anti-putrida, qualia scordium, piper, theriaca, &c. Ubi autem fieri incipit eschara, inurendus est anthracis apex cum aquâ forti, aquâ mercuriali, bulliente oleo, lapide infernali vel alio caustico. Si eschara citiûs perficiatur, major crusta evadit, putredinis fetorisque minûs capax. Notandum tamen quòd semper adhiberi nequeat hæc

adustio , si faciem , collum , tendineas vel membranaceas partes , articulorum vicinia obfideat anthrax. Cùm jam formata & circumscripta est eschara , procuranda ejus ablatio , digestivorum relaxantium , cataplasmatum anodinorum usu , imò etiam ferro : utilissimæ siquidem sunt sæpè scarificationes , quandò valdè lata , crassaque est eschara ; ut saniei sub hac stagnanti , moræque sinus alioquin producturæ , concilietur effluxus. Sunt denique casus in quibus necessariæ sunt profundæ scarificationes , & utiliter adhibetur cauterium actuale , cùm scilicet timendi locus est , ne altè , latè rapidèque serpat gangræna. Ubi jam cecidit eschara , curatur ulcus cum unguento ægyptiaco , cum mundificativo apii officinarum , cum balsamo meténsi , &c. Quòd si verò gangræna supervenerit , tunc adhibenda sunt anti-septica fortiora , qualia aqua vitæ camphorata , tinctura mirrhæ & aloës , aqua phagedenica , balsamum arcæi , oleum essentielle terebenthinæ , sal marinum , sal ammoniacum , acidum nitri dulcificatum , aqua rabelii , kina-kina , tam intùs quàm extùs usurpatus. Si escharoticorum aliorum-ve remediorum ope mortuum separetur à vivo , & suppuratio intermedia instituaturs ; bonum. Malum è contrà si carnes siccæ remaneant , nullumque sit suppurationis indicium.

Cura anthracis benigni simplicissima est , & ad eam obtinendam sufficit ut - plurimùm applicatio cataplasmatum emollientium : attamen ubi ad suppurationem non vergit , tunc usurpari debent scarificationes , butyrum antimonii & alia caustica in curatione anthracis maligni jam proposita.

Profunt adhuc cardiaca sicut & topica superius indicata. Imprimis autem ad diætam benè ordinatam confugiat æger, potuque copioso utatur, modò finant vires & circumstantiæ: utilissimum commendatur in hoc casu serum lactis clarificatum in quo infunduntur viginti guttæ spiritûs vitrioli & quindecim grana nitri purificati pro libris duabus liquoris. Si desit serum lactis, hujus loco præscribi poterit potio ex malorum limoniorum succo confecta, abundanter epota.

Cùm à pravâ humorum diatresi potius quàm à nimia sanguinis copiâ, oriatur anthrax, indè liquet venæ-sectionem in hac inflammationis specie ab alijs tam diversâ, plus damni quàm commodi allaturam esse: attamen dantur aliquandò circumstantiæ sub quibus maximo cum successu institui potest in quibusdam anthracum speciebus, inodò à vigore pulsûs indicetur.

F I N I S.



ARGUMENTABUNTUR

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius
& Judex.*

N. D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

N. D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N. D. JOANNES SABATIER.

N. D. JOANNES-CAROLUS DE GRIMAUD.

N. D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

66-09
6 July 65
Wormser

CONFIDENTIAL

TO : [illegible]

FROM : [illegible]

SUBJECT : [illegible]

1. [illegible]

2. [illegible]

3. [illegible]

4. [illegible]

5. [illegible]

6. [illegible]

7. [illegible]

8. [illegible]

9. [illegible]

10. [illegible]

11. [illegible]

12. [illegible]

13. [illegible]

14. [illegible]

15. [illegible]

16. [illegible]

17. [illegible]

18. [illegible]

19. [illegible]

20. [illegible]

21. [illegible]

22. [illegible]

23. [illegible]

24. [illegible]

25. [illegible]

26. [illegible]

27. [illegible]

28. [illegible]

29. [illegible]

30. [illegible]

31. [illegible]

32. [illegible]

33. [illegible]

34. [illegible]

35. [illegible]

36. [illegible]

37. [illegible]

38. [illegible]

39. [illegible]

40. [illegible]

41. [illegible]

42. [illegible]

43. [illegible]

44. [illegible]

45. [illegible]

46. [illegible]

47. [illegible]

48. [illegible]

49. [illegible]

50. [illegible]

51. [illegible]

52. [illegible]

53. [illegible]

54. [illegible]

55. [illegible]

56. [illegible]

57. [illegible]

58. [illegible]

59. [illegible]

60. [illegible]

61. [illegible]

62. [illegible]

63. [illegible]

64. [illegible]

65. [illegible]

66. [illegible]

67. [illegible]

68. [illegible]

69. [illegible]

70. [illegible]

71. [illegible]

72. [illegible]

73. [illegible]

74. [illegible]

75. [illegible]

76. [illegible]

77. [illegible]

78. [illegible]

79. [illegible]

80. [illegible]

81. [illegible]

82. [illegible]

83. [illegible]

84. [illegible]

85. [illegible]

86. [illegible]

87. [illegible]

88. [illegible]

89. [illegible]

90. [illegible]

91. [illegible]

92. [illegible]

93. [illegible]

94. [illegible]

95. [illegible]


96. [illegible]

97. [illegible]

98. [illegible]

99. [illegible]

100. [illegible]





E787
C 492d
1-SIZE

